UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et Methodica Sacrorum Canonum Explanatio

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XLIV. De Custodiâ Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63255

Visual Library

mus ſemel ritè collatus reiterari non poteſt; & ſi quis auſu temerario eum reiterare præſumpſerit, præter reatum peccati mortalis & pœnam excommunicationis de Jure Canonico omni beneficio & officio privatur de jure autem Civili ultimo ſupplicio afficitur. *l. 2. Cod. ne ſanctum Baptiſma reiteretur.*

TITVLVS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

QUÆRES An qui Baptizatus non eſt ordinari poſſit? Reſp. Negativè. Nam cum niſi per Baptiſmum ingrediamur eccleſiam, patet, eum qui baptizatus non eſt ordinari non poſſe, aut ſi ordinatus fuerit characterem non ſuſcipere; hinc tali caſu presbyter baptizandus, ac de novo ordinandus erit. *cap. 1. & 3. h. t.*

TITULUS XLIV.

De Cuſtodiâ Euchariſtiæ, Chriſmatis & aliorum Sacramentorum.

QUÆRES. 1. Quid præſente titulo præcipiunt canones? Reſpond. Cuſtodiam præcipuè Euchariſtiæ & olei ſacri quo moribundi ungi ſolent. Cum enim Euchariſtia ſit viaticum morientium in articulo mortis præceptum cujus confectio extra ſacrificium miſſæ, permiſſa non

eſt, hinc præſente titulo, tam Euchariſtia, quàm oleum ſacrum aſſervari jubentur, ut in caſu neceſſitatis haberi poſſint; qua in re non ſola cuſtodia, ſed & decentia conſideranda venit, quam ſi cuſtos omiſerit trium menſium ſuſpenſioni, ſe ſubjicit *cap.* 3. *h. t.* is autem qui per ebrietatem Euchariſtiam evomit, ſi laicus fuerit 40. ſi Clericus 70. diebus pœnitebit *can. ſi. quis. diſt. de conſecrat.*

QUÆRES 2. An extrema unctio ſit ſacramentum? Reſpond. Affirm. prob. ex *Iacob.* 5. *v.* 14. ubi reperiuntur omnia requiſita ad ſacramentum neceſſaria, uti *lib.* 1. explicavimus.

OBIICIES. Epiſtola Jacobi non eſt canonica; ergo ex eâ ſacramentum extremæ unctionis probari nequit. Reſpond. Jacobus ſcripſit, quod Chriſtus præcepit, & quod in primitivâ eccleſiâ faciebant Apoſtoli, hi autem ungebant infirmos, *Marc* 16 *v.* 13. Quod non feciſſent, niſi mandatum Domini & promiſſionem gratiæ infirmis per oleum concedendæ habuiſſent.

TITVLVS XLV.

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

QUÆRES 1. Quinam pro Sanctis ſint habendi? Reſpond. Non omnes qui cum famâ ſanctitatis obierunt pro ſanctis habendi, ac venerandi ſunt, ſed ij ſoli qui auctoritate Apoſtolicâ approbati, atque prævio examine